Rhetorica ecclesiastica


Socolovii Stanislai: Partitiones ecclesiasticae.

Cracoviae ex off. Lazari. 1589.

STANISLAI SOCOLOVII,
STEPHANI I. quondam REGIS
Poloniæ Theologi,

PARTITIONES
ECCLESIASTICAE.

Ad Petrum Costcam, Episcopum Culmeñ. virum Amplissimum.



CRACOVIAE,
Ex Officina Lazari: Anno Domini
M. D. Lxxxix.

Dixisti benè, scripsisti benè : nec satis, & nos
    Dicere, scribere, dum deficis, ipse doces.
Hæc tui erant morbi solatia, peste furente :
    O pudeat sanos, otia pigra sequi.

M. And: Schoneus.

PETRO COSTCAE
EPISCOPO CVLMENSI,
viro Amplissimo.

SÆpenumerò, pro eo, quem aliqui mihi quandoque tribuebant, concionandi vsu, quæri ex me solitum est; quid de hac tota siue vi, & facultate, siue modo & ratione sentirem: ita necesse habui, ne aut inuidus, aut contumeliosus viderer, toties eadem multis dicere & respondere. quod in hoc meo morbo mihi magna cum difficultate & molestia euenire solet. Eam ob causam semel eo labore me liberandum esse: atque quid de hac re iudicarem, aliquid literis commendandum, putaui. Non quòd eius rei aliquam artem tradere vellem, quæ diuinitùs potiùs confertur; quàm aliqua humana arte, præceptisq; constat: neque vt alios doceam, quæ ipse non planè didici; sed vt me hac ipsa molestia, eadem sæpiùs repetendi, liberarem. Te autem potissimùm Rme Antistes, in hac causa iudicem appello: tibiq; hæc nostra addico: quòd te aliquando de eo toto negotio & argumento, dum Torunij in illa prima Reip. quasi conglutinatione essemus, disertissimè ac perdoctè, pro tuis singularibus ingenij ac eloquentiæ opibus, disserentem audiuerim: & quòd hæc tua doctrina, libe-

 ralitas,

mlitas, virtus denique ipsa digna sit; vt omnium bonorum literæ atque conatus ad te confluant: deniq; vt illa tua, quæ texis atque retexis, premisq; sapiens, plusquàm nonum in annum, quæ iam omnes boni expectant, & quibus iam satis matura esse videntur, à te aliquando hoc genere scriptorum eliciam.

Vale, nosq; vt soles, etiam atque etiam vehementiùs ames.

MIRARIS LIBRI TITVLVM? NON HIC, BONE, NVMMOS
TEMPLI PARTIMVR, SACRA SED ELOQVIA.

S. F.

Partitiones ecclesiasticę.

ANDREAS, & SOCOLOVIVS.

ANDREAS. Ordire igitur id totum, de quo institui volo, à Fine: qui vt est vltimus in actione, ita instituto primum esse debere, in scholis didici. SOCOLOVIVS. Finis, vt scis, duplex est; summus seu vltimus, & interiectus seu destinatus. Et in hac quidem causa, finis primus & vltimus, est honor Dei, & salus proximi. Interiectus autem, errores & vitia euellere, bonos autem sensus & virtutes inserere, iuxta illud: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes,& super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. A. Officia ad eum finem conducentia, quæ? S. Docere præcipuè ac permouere. Nam delectare accessorium & humanum est: satisq; in vera philosophia delectat, qui docet & mouet. A. Obiectum totius facultatis, in quo ea versatur, quod statuis; quæúe eius propria affectio? S. Scholam oles, Andrea; nec malè tamen. Obiectum quidem est, voluntas Dei, quam dicit esse Paulus sanctificationem nostram. Propria autem affectio est, veritas. Sic enim inquit primus Do-

Ierem. 1.

1. Thes. 4

 ctor:

Ioan. 18. ctor: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. A. Quibus præſidiis & inſtrumentis, huic ipſi noſtro Prædicatori, vt hoc efficiat, opus eſt? S. Vocatione diuina, & ſuperno dono ac lumine inprimis,
Iere. 23. ne de illo dicatur: Non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos, & ipſi currebant. Deinde pietate, ac zelo pro domo Domini; vt il-
Pſal. 18. lud dicere poſsit: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Vitæ item integritate, ne illud audi-
Pſal. 49. at: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam; videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Doctri-
Oſee 4. na competenti, ne illi dicatur: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Diligentia & aſsiduitate, vt in lege Domini meditetur die ac nocte: nam cui ſemper dicendum eſt, ſemper item longa meditatione, & cogitatione, lectioneque frequenti mens & oratio ditanda & irriganda eſt; ne opus Domini faciat negligenter. Voce & memoria, animoq. præſenti,
Exod. 4. vnde illa Moyſis deprecatio: Obſecro Dñe, nō ſum eloquens, ab heri & nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardi-

oris

oris linguæ ſum. Et Ieremiæ: Ah ah ah, Domine *Iere. 1.*
Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Poteſt tamen hæc Dominus Deus aliis donis abundè compenſare. Et quod caput rei eſt, vt ſibi primò perſuadeat, quod aliis perſuadere vult. Nam & in legato hoc maximè requiritur; vt ſit eiuſdem ſententiæ, cum eo, qui illum mittit; idemque nolit & velit, quod agit, & cuius cauſa mittitur. A. A quibus autem dicendi & diſſerendi modis hæc facultas diſtingui debet? S. A cauſa ciuili primùm: deinde quæſtione, quam diſputatam vocant: pòſt Scena & Tragœdia: à ſermone item aulico: demùm à Satyra & inuectiua, vt modeſtia noſtra nota ſit omnibus hominibus. A. Ad quorum imitationem ſe componet Concionator? S. Chriſti inprimis, Pauli, Prophetarum, Apoſtolorum, Sanctorum Patrum, inter quos patres, Chryſoſtomus hac in parte omnium iudicio excellit. A. Qua verò id faciet mercede? S. Ea nimirum, quæ eſt apud Danielem: Qui docti fu- *Dani.12.*
erint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et illa Chriſti Domini: *Math. 5*
Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. A. Quid igitur in tota ſua

ta ſua

ta ſua facultate videbit? S. Illa tria communia, quid dicat, quo quidque loco, & quomodo dicat. A. Quid igitur dicet? S. Huc ſpectat materia & motus. Materiam habebit; ſi aut ſcri pturam aut locum communem tractauerit. Scriptura variis modis materiam præſtabit: nam aliquando tota, quæ tum ab Eccleſia ad populum recitatur, explicari poteſt: aliquando pars illius. Si tota, id multipliciter: aut hiſtoricè, continua rerum & verborum ſerie eam explanando, quod D.Gregorius,Beda,& alij faciunt:aut expoſitione prætermiſſa, exempla & doctrinas ſimpliciter,vel ad hæreſes confutandas, vel ad vitam inſtituendam, per communes ſententias ex ea eliciendo; quod Baſilius in ſuis moralibus libris, quos Aſcetica appellauit; D. item Thomas in ſuis ſermonibus, & hoc tempore multi, iique ex magnis facere ſolent, præclarè faciunt: aut partitione facta, quod nunc in frequentiori vſu eſt, per capita tota res explicanda eſt: vel propoſitis etiam certis eius, ad quos præcipuè refertur, finibus,in illis totam orationem conſumet, quod noſtros quondã in Italia præceptores feciſſe memini. Hoc autem in parabolis magnam lucem & commendationẽ habet. Vel explicata ex Euangelio primaria ali-

qua difficultate, in prima parte: reliqua breuiter & cursim attinget,vt nunc in Italia cōmuniter fit. Si pars autē explicanda fuerit,habet ea res venustatem singularem; & fit à Basilio,Chrysostomo, & ab aliis; sed acumine opus est,& copia dilatationeque materiæ. Quod ita consequetur, si in singulis incisis insistet, vt singula membra sint instituti argumenta,præsertim si loco communi accommodentur. Dabunt præter ea, quæ diximus, occasionem dicendi, cantus, & ritus ecclesiastici eiusdē temporis,introitus,offertoria,hymni,& id genus alia, quæ aliquando firma basis concionis esse possunt. Vniuersa autē hæc ad illos quatuor communissimos, olimq́ue ab Ecclesia receptos,à Paulo inchoatos,& à sanctis patribus vsurpatos modos, Anagogē, Allegoriā,Tropologiā, & literalem sensum, prout res & locus postulârit, cautè prudenterq. referētur.Solebat enim Origenes iam suis temporibus,scripturam mundo comparare:vtq. is constat quatuor elementis,ita scripturam quatuor sensibus constare dicebat,literali videlicet, seu historico, quem fundamentū cæterorum appellat: morali, sub quo comprehendit allegoricum, & tropologicum: physico, qui passim non numeratur: theologico, qui idem

atque anagogicus est. Quod faciliùs ex ipsius verbis, si fortè eorum benè memini, intelliges. Diuina, inquit scriptura, mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus, veluti quatuor elementis, constitutus: cuius terra est, veluti in medio, imóque instar centri, historia: circa quam aquarũ similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ, quæ à Græcis Ethica solet appellari: circa quas, historiam dico, & Ethicam, veluti duas præfati mundi inferiores partes, aër ille naturalis scientiæ circumuoluitur: quam naturalem dico scientiam, Græci vocant Physicam. extra autẽ omnia & vltra, æthereus ille igneus ardor Empirei cæli, hoc est supernæ contẽplationis diuinæ naturę, quam Græci Theologiã nominãt, circũglobatur, vltra quã nullus ingreditur intellectus. Hæc ille. Sed & locus cõmunis potest causã dare differendi, qui aut simpliciter tractandus, aut coniunctè. Simpliciter quidem, partim Oratorum more, rem perpetua oratione, nudè, & absolutè explicando: partim philosophorum via & ratione, hypothesibus, & fundamentis iactis, & præmissis. Coniunctè autem, vel locum communem cum Euangelio coniungendo; vt si quis incertitudinem vocationis & gratiæ singulorum,

qua

qua se hæretici efferunt, probare velit, parabolã de eo, qui vestem nuptialem non habuit, vsurpet: *Matt.22*
vel contrà Euangelium cum loco communi; vt, si quis Euangelium de saucio eunte Ierosolymã *Lucæ 10*
explicet: accommodet & illustret illud loco communi de iustificatione. Locus autem communis sumi poterit: modò ex re ipsa; quomodo Basilius de ebrietate, de ieiunio: modò ex persona; quomodo Ambrosius de S. Laurentio: nunc ex tempore; quomodo Nazianzenus de Paschate, Natiuitate: nunc ex loco; quomodo Christus Dominus de ædificatione templi, grauissimam instituit orationem: modò ex occasione; quomodo Paulus Athenis, ab ara, in qua erat scriptũ, ignoto Deo, occasione sumpta, magnificè de vero, qui fecit cælum & terram, Deo, concionatus est, Basilius tempore famis, Cyprianus de mortalitate, Nazianzenus de plaga grandinis, alij de bello. A. Quid? argumenta & probationes, vnde sumentur? S. Tace Schonæe: audies suo loco faciliùs; nam hæc ad contentionẽ propriè spectant, de qua, ne idem sæpiùs repetatur, paulò pòst. nam & magnis id contigisse, ipse vides, vt eadem sæpiùs in hac parte repeterent. Neque enim hoc loco illud ἀκριβὲς Geometricum

conſectari volumus, ſed ne poſſumus quidem, etſi vellemus; ſed nec alij valdè potuerunt. A. Quoniam igitur de materia dixiſti, dic de motu. S. Motus in quibus Chriſtianus Orator elaborabit, illi erunt, charitatis, ſpei, gaudij, cæleſtium rerum cupiditatis, exſtaſis cuiuſdam diuinæ, ſuiq; quodammodo obliuionis, miſericordię, pœnitentiæ, rerum nouiſsimarum metus, & deſiderij; odij in malum, zeli pro domo Domini, ſuiipſius, ac rerum humanarum contemptus; vt diſcat auditor, contemnere mundum, contemnere nullum, contemnere ſeſe, contemnere ſe contemni. Nam iocus & riſus, aliique humani affectus, hîc locum non habent, niſi ſi quando ex commiſeratione ducantur, & in traductionem & contemtum vitiorum hæreſumque fiant: curas hominum, ſpes vanas, magnum in rebus inane rideant: & mundi fallacias, artes, inſidias aperiant: hominum peruerſitatem, duplicitatẽ, hypocriſim, vanitatemq. detegant. Quod Chryſoſtomus, Baſilius, & alii ſæpiùs faciunt; Baſilius autem in illis orationibus maximè, quas de auaritia, vſura, ebrietate item diuinitùs conſcripſit. A. Vnde hos affectus colligis? S. Ex Chriſti, prophetarum, Pauli, aliorumq. ſanctorum doctrina; vobis enim philo-

ſophis

ſophis hæc minus placere ſolent. A. Quomodo autem hos motus excitabit atque accendet? S. Charitatis quidem, ipſe diligendo: ſpei, ipſe ſperando ac deſiderando: pœnitentiæ, ſi ipſe cõtritus fuerit. Quod idem de aliis ſentiendum eſt; vt non modò incendere auditorem, ſed ipſe etiam ardere videatur. Neque enim aut titio extinctus, accendere poteſt, aut fax ardens non inflamare. Iuuabit tamen plurimùm, ſi Prophetas, pſalmos, ſanctoſque patres diligenter legat; & ex quibus capitibus moueant, notet, hoc eſt, materiam, motus, rationem, & modum. Quinimo, vbi ipſe frigebit, neque eorum grauitatem imitando conſequi poterit, (quod plerunque fit) ipſos & ad ſe, & ad alios, accendendos patronos aduocet, illorumque perfectas & integras ſententias adhibeat: neque priùs vel orando, vel clamando, vel ipſe plorando defatigetur, quàm vberem lacrymã excuſſerit. In quo, mirum eſt, quantum excellebat LVCAS ille noſter Dominicanus, vir quondam in dicendo magnus. Hoc idem planè efficiet, ſi Concionatores ſpiritu ardentes ipſe audierit: ac ſpirituales quoſdam libellos, in quibus ſemina & ſcintillæ pietatis continentur, legerit; D. inquam Ephrem, Baſilii, Auguſtini, Bernardi, Bedæ, An-

ſelmi, Bonauenturæ, Carthuſiani, Gerſonis, Granateñ, & ſi qui ſunt in hoc genere alij. A. Quid tum poſteà? S. Nihil. A. Videris mihi ſimilis magiſter illi, qui, cùm ad cœnam quoſdam vocaſſet, ac præclarè menſam adornaſſet, multaq. de arte accipiendi hoſpites diſſeruiſſet, ipſe appoſuit nihil. Sic tu nos ad Pſalmos, Prophetas, & Patres remittis: hoc eſt ad forum & macellum hoſpites ablegare, vbi ipſe ad cœnam eos vocaris. S. Eſt ita vt dicis. Nam & Grammatici loqui docent; verba tamen aliunde quærenda ſunt. Et Arithmetici numeros tradunt; pecuniam tamen, quam numeramus, non præſtant; ipſi inopes plerunque. Menſuram præbet Geometres; ipſe pedem vbi figat, aliquando non habẽs. Modum docemus, res non largimur, ſtudio priuato opus eſt, animaduerſione, & obſeruatione multa. Firmiùs tenentur, & cum maiori energia efficaciúſque exprimuntur, quæ quiſque ipſe obſeruauit. Nam & veſtri in hoc genere (vt verè fatear) ridiculi mihi viſi ſunt; dum aut iraſci, aut lætari, aut inuidere docent. Quaſi verò iſta non natura potiùs, quàm aliqua arte conſtent. Sed hoc ſit aliquid. A. Videmus quid agas: fontes digito commonſtras.

Quo-

Quoniã igitur de materia & motu dixisti, ad ordinẽ te referas;& quid quoq. loco tuus Concionator dicturus sit,doce. S. Priúsquam de ordine dicimus, cõmonendus est quarundã rerum, sine quibus rectũ ordinem conseruabit nunquã. Primùm,ne se varietate &multitudine argumentorũ obruat. Errant enim illi,qui se tũ copiosos putãt, si de omnibus rebus vno loco dixerint. Copiosus verè ille erit,qui de re proposita,& ad eundem finem, ita vt fidem faciat, aptè & sufficienter dicere poterit. Secundò, ne omnia, quæ aut scit, aut legat, etiam de eodem argumento, dicat. Multa enim possunt esse, aut infirma, aut ambigua, aut incerta, aut aliqua circumstantia inquinata. Ne illud Fabij ipsi eueniat; vt dum nihil perdere vult,perdat omnia. Cortices relinquat, nucleos proponat quantum fieri potest: ac optima quæque semper,ad præsensque negotium accommodatissima, seligat: vulgò audita & cognita relinquat, neque id curet vt multa, sed vt multùm dicat. Sed & ea, quæ seriò ad probandum sumuntur, præter ea, quæ primò & per se probant, eò amplius aliquid eruditum, iucundum,inopinatũ, quasi ex latere habeant,quod auditorem & delectet, &instruat; quod SCARGA noster præclarè

facit

facit. Tertiò, vt non magis cogitet quid dicat, quàm quid non dicat: nam sæpè illa, quæ non dicenda erant, euertunt & inquinant, quæ præclarè dicta sunt: ac vt desiderium suæ orationis, quod medici in cibo præcipiunt, semper relinquat. Quartò, si graues materias, maturè expedire velit, citò & statim à principio eas proponat, tanquam optimos & saluberrimos cibos, neque more rusticorum ad extremum orationis differat. Postea enim in Parergis & superfluis, consumpto tempore, necessariis non relinquetur locus: fessóq. auditore exhaustis viribus, titubando, molestus omnibus, illas peraget: ac ne quicquam clepsydras, ac hominum assurrectiones, motus, & tædia aspiciet, seque ita confundet. Nam & Diogenes interrogatus, cur prior semper in Olympia pedes veniret, quàm alii equestres; respondisse fertur, se priùs domo egredi solere. Nam quod citò perficere volumus, citò ac statim illud aggrediamur oportet. Et proinde, ne exordiis quidem longis (vt ad rem propiùs accedamus) opus habebit: si tamen illis aliquando vtetur, vniuersa ad docilitatem & intelligentiam cōparabuntur, honestumq. causæ accessum præparabunt. Nam beneuolentiam captare, quid opus est apud eos,

qui

qui spontè ad audiendum parati sunt; nisi fortè in persona sit aliquid vitij; aut superiùs aliquid ambiguè, & suspectè dixerit. Sed commodissimũ erit, cautè & prudenter orationem instituere, personæque suæ obliuisci; neque enim ille est, qui loquitur: sermones hominum non curare; & si quid huiusmodi fuerit, domi & apud se corrigere. A. Vnde ergo ordietur? S. Ordietur, vel ex totius argumenti partitione, causæq. informatione: vel continuabit sequentem sermonem, cum superiorum temporum doctrina; quod vt ad docilitatem est maximè accommodatum, ita quandam habet venustatem: vel si quid prætermissum, aut secus commissum sit in priori concione, complebit, & interpretabitur: vel ea, quæ illum impedire videntur, auferet. Habent & illa non parum dignitatis & venustatis, si ordiamur à graui aliqua prophetia, vel à figura veteris legis, præsenti negotio accommodata, vel à communi verbo siue prouerbio, dicendique modo, vel à subita quadam circumstantia, insperatoq. euentu.

A. Vbi exorsus fuerit, quid faciet? S. In ciuilibus quidem causis narrari solet; apud nos nõ ita frequenter: fit tamen aliquando. Illud autem narrationis genus, crebriùs adhibetur, quod per

omnes partes orationis fuſum eſt. In quibus ſeruabit illa communia veſtra (nam nihil hîc proprium video) nempè vt vera narret & conſentanea, certis & receptis authoribus eadem fulciat: cognita non inculcet: non omnia explicet: multa attingat ſolùm: neque altè cauſam ordiatur: inprimis autem obſcuritatem, quæ narrationẽ maximè ſequi ſolet, fugiat. Quod ita conſequetur, ſi temporum, locorum, perſonarum, & alias circumſtantias obſeruabit.

A. Quid deinceps ſequitur? S. Contentio, in qua cardo negotij verſatur, totaq. ratio perſuadendi poſita eſt. Conſtat hęc cõfirmatione & refutatione, vt ſcis. Optat alicubi Hieronymus, vt Lactantius ita potuiſſet noſtra confirmare, quemadmodũ aliena refutauit. Nam neq. ille, qui ſua confirmare non poteſt, aliena rectè & ſolide refutare poterit; & alienis non refutatis, noſtra ſtabilire difficile eſt. Conſtat hoc vtrunq. argumentis. Argumenta ex locis petuntur. Loci autem, aut inſiti ſunt, aut aſſumti. Inſiti, in re ipſa hærent, & diſcurſu rationeque colliguntur. Aſſumti, teſtimoniis, & authoritate conſtant. Prius genus locorum, Dialecticorum, aut Philoſophorum eſt; indeque ſcientes, & dogmatici vocantur.

cantur. Posteriùs hoc, nostrum, hoc est, Christianorum est peculiare: indeq́ue fideles, quòd authoritatem & testimonia sequamur, vocari solemus, hiq́ue nobis pro insitis habentur. Vnde illud Isaiæ: Nisi credideritis, non intelligetis. Et illud Habacuc: Iustus autẽ in fide sua viuet: id est *Haba. 2.* non sensu & ratione, sed fide nitetur. Et tota illa series Patrum, quã Paulus recensuit ad Corinthios, hac eadem fide subnixa, sua omnia sciebat, & vixit, Quod ipse Paulus fusiùs interpretatur: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia *2. Cor. 10* Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam; cùm impleta fuerit vestra obedientia. Accersuntur tamen & illi aliquando. Assumpti loci doctrinæ Christianæ, illi numerãtur à doctis.

Primus est, ex reuelatione aliqua diuina non scripta, vt indicat D. Paulus: Prophetæ duo aut *1. Cor. 15.* tres dicant, & cæteri diiudicent: quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Argumenta autem ex hoc primo loco, non habent vim faciendi fidem Catholicam, nisi reuelationes autho-

ritate Ecclesiæ confirmatæ sint, quod ex verbis S. Pauli constat, cùm reuelationes in cœtu diiudicandas esse docet. Nam alioquin, & maximè hoc seculo, periculosus est hic locus, fundamentum planè Anabaptistarum & Svenckfeldij.

2.Tim.3. Secundus ordine locus, fide vero primus est, è scriptura sacra. Omnis, inquit Paulus, scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, arguẽdum, corripiendum, & erudiendũ. Scriptura autẽ sacra duplicẽ potissimùm sensum habet, mysticũ, & historicũ, quem passim literalem vocant. Mysticus quidem valet ad docendum, ad corripiẽdum, ad erudiendum; sed ad arguendũ, id est, ad fidem faciendã, non ita est accommodatus; potest enim esse multiplex & varius, quod Dionysius Areopagita, in epistola ad Polycarpum, Hieronymus in Matthæum, docuerunt. D. Augustinus quidem, contra Donatum, multũ ridet illos, qui ex illis verbis Canticorum : Indica mihi vbi pascas, vbi cu- *Cant. 5.* bes in meridie : probare voluerunt Ecclesiam Catholicam tantùm esse in Aphrica, quòd sit pars meridionalis. Quod tamen ita intelligendum est, si sensus mysticus non alio loco scripturæ expositus & comprobatus sit. Nam alioqui rectè concludit : Vt quod dictum erat sensu historico de

Salo-

Salomone: Erit mihi in filium, & ego ero ei in *2.cap.7.*
patrem, Paulus exponit de Christo. Et quod di-
ctum erat de cælis: Cæli enarrant gloriam Dei; *Psal. 18.*
idẽ Paulus vsurpat de Apostolis. Ex historico autẽ *Cap. 10.*
sensu, certum & firmum sumitur argumentum; ea-
dem tamẽ ratione; si Ecclesiæ authoritas & inter-
pretatio accesserit. Nam fieri potest, vt aliquis
sit sensus historicus cuiuspiã loci; tamen, quia non-
dũ est ab Ecclesia confirmatus, ex eo duci non po
test argumentũ tale, cui penitus inhærendũ sit; vt
cùm D. Paulus se vsq. ad tertiũ cælum raptũ fuisse
dicit; pleriq. hoc verum & quod oculis cernimus
cælum interpretantur, nec nos pugnamus: hic ta
men sensus talis nõ est, qui fidẽ constituat Catho-
licam; cùm nihil hac de re ab Ecclesia definitũ sit.
Quapropter summa rei est, nullũ verũ argumen-
tum è scriptura, quæ vel maximè perspicua vide-
atur, erui posse, quod fidem Catholicam generet;
nisi accedat authoritas & interpretatio Ecclesiæ
Catholicæ. Hoc significatum est exemplo illo Ia-
cobi & Esau. Isaac, alioquin magnus Patriarcha,
non potuit discernere inter vocem Iacob, & pel-
lem Esau: Rebecca, quæ ferebat formam & spe-
ciem Ecclesiæ, vtpotè cui mysterium hoc reuela-
tũ fuerat: duos populos esse in vtero eius, & ma-

iorem seruiturum minori, probè intellexit, quis esset verus Iacob, aut verus Esau. Huc eodem pertinent figuræ veteris legis,& parabolæ nouæ. In figuris veteris legis diligenter videndum erit, in quo propriè consistat figura, & ad quid referatur. Quam, si alia scriptura interpretabitur, vt superiùs diximus,aut similem aliquam illi figuræ, quomodo petram illam deserti Paulus exponit; idem valebit ac sensus historicus. Eodem modo antiqui patres probârunt ex veteris testamenti figuris,Christum verum Mesiam esse;quia Paulus, & alii Apostoli eas ipsas figuras hoc modo exposuerunt. In parabolis autem noui testamẽti, præceptum Chrysostomi obseruandum est: In omni parabola semper aliquid esse præcipuũ, quod dicatur ad probandũ id,de quo agitur;multa deinde ad explendũ sensum, & ornandam orationẽ, dici; igitur cauendũ esse,ne ex illis rebus,quæ in parabolis explendæ narrationis causa dicuntur, argumenta sumamus. Nam alioquin & furari & fœnerari ex parabolis licitum esse colligeretur;vt de Villico, & de talentis traditis. Clauis autem assequendi sensus, & aperiendæ parabolæ, hæc erit. Primùm occasio, vnde nata sit parabola, videnda est: deinde similis parabolæ in alio loco

inter-

interpretatio: denique, quod summum est, vltima sententia, & quasi Epimythion, hoc est, scopus & sensus parabolæ, quo cõcludi solet; quale est illud de veste nuptiali: Multi vocati, pauci electi. Et *Matt. 22* illud, de primo accubitu: Qui se exaltat, humiliabitur. *Lucæ 14.* De virginibus item: Vigilate, quia nescitis *Matt. 2* diem, neque horam. Dabit autem operam, ne ad confirmandum, scripturas aut alienas, & multùm remotas, aut ambiguas, aut in contrario sensu prolatas, afferat. Hæc enim aliquando vero ac legitimo sensui apud vulgus multum detrahere solent, ac hominibus versutis latus Doctoris aperire, eumq. ridendum propinare. Plúsq. interdum vnus debitè locus allegatus valet, quàm sexcenti extra propositum inuecti. Itaque & eam ostentationẽ fugiet, quæ & molesta est, & nihil prodest.

Tertius est locus, ex traditione, quæ eandẽ vim penitus habet ad fidem Christianam facieñ, quã scriptura. Sic enim Paulus hæc coniungit: Tenete, *2. Tes. 2.* inquit, traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram, siue per scripturam. Non enim minus verbum Dei est, quod voce traditur, quàm quod scriptura. Ex eo enim tota res pendet: nõ quòd dictũ aut scriptũ sit aliquid; sed quòd à Deo profectũ. Et quæ Apostoli

dice-

dicebant, antequam ſcripto mandarentur, Dei verba erant; indeq́. communi vocabulo ſcripturæ, etiam ipſa traditio vocatur; & D. Paulus, ſuum Euangelium traditionem vocat: Ego accepi à Domino, quod tradidi vobis. Quinimò in hoc, traditio ſuperat ſcripturam, quòd tempore prior ſit, quòd clarior, quòd latiùs pateat, nec corrumpi & interire, aut in varios ſenſus ita facilè torqueri poſsit. Itaque D. Ioannes ſe chartæ atque atramento multa credere nolle dixit. Dum autem de traditione loquimur, eam quæ Catholica ſit, quæ & ſcripturæ & rectæ rationi conueniat, & quam Eccleſia approbauit, cum D. Auguſtino intelligo. De qua plura alibi diximus.

1. Cor. 11.

2. et 3. Ioã

Lib. 1. de Eccleſ. cap. 3.

Quartus locus, eſt ab authoritate Conciliorum generalium, ex quo ſumpta argumenta, eiuſdem fidei & authoritatis ſunt, cum ſuperioribus. Sic filium Dei ὁμόουσιον patri credimus, quia ita prima Nicœna Synodus definiuit; etiamſi hoc nomen in ſacra ſcriptura non inueniatur. Sic Spiritum ſanctum, patri, & filio ὁμόουσιον & ab vtroque procedere; quia Conſtantinopolitana & Romana Synodi, eodem tempore, ex ſcripturis ita ſanxerunt. Idq́. eas ob cauſas; partim, quòd Concilia Eccleſiã Catholicam repręſentant, quæ errare non poteſt; eſt

est enim columna ac firmamentum veritatis: partim, quòd pręsentem Spiritum sanctũ habeant; sic enim in primo illo Concilio Apostolico: Visum est nobis, inquiunt, & Spiritui sancto; ac si Spiritus sanctus illius Concilij Dux & pręses fuisset, vt quidem fuit: partim, quòd promissionem illã Christi acceperint: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Hæc autem, *Matt.18.* quæ dicimus, de iis Conciliis intelligimus, quæ legitimè congregata sunt; & ex illis personis, ex quibus ritè congregari debent; & ab iis, quibus hoc munus incumbit, vt congregent, & præsideant, quæque ἀκέφαλα non sunt. Nam alioqui conciliabula & conuenticula potiùs, quàm Concilia erunt dicenda; quale Arimineñ. fuit; & nũc passim hæreticorum omnia sunt, & fuerunt semper. Habita est tamen, & Synodis prouincialibus legitimè congregatis, & superiorum authoritate confirmatis, semper sua fides & authoritas.

Quintus locus est, fide & authoritate proximus, à Decretis Pontificum: habet autẽ vim ex illis capitibus. Primò, quòd ab antiquis diebus, inquit Petrus, voluit Deus per os illorũ audire gentes verbũ Euangelij, & credere. Deinde, ex illa ce- *Act.5.* lebri commissione muneris: Pasce oues meas, pa *Ioan.21.*

 sce

ſce agnos meos; paſcuis certè verbi & doctrinæ. Tertiò, ex oratione Chriſti Dñi: Ego pro te oraui
Lucæ 22. Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Quæ tamen de illis decretis intelligenda erunt, quæ de rebus ad fidem pertinentibus, & ex officio munereq. proprio fiunt: nam in aliis multa, pro locis ac temporibus, aliisque circumſtantiis, ſæpè mutantur.

Sextus locus eſt, ex conſenſu Patrum, non diſsimilis, meo iudicio, valoris: partim, quòd ii, vt plurimum Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum fuerint, in locumque Apoſtolorum ac diſcipulorum Chriſti, ſucceſſerint; iuxta illud: Pro patribus nati ſunt tibi filij: partim, propter vitæ ſanctitatem, cæleſtibus ſignis ac miraculis comprobatam: partim, quòd multi ex his præſentes Chriſti diſcipulos viderint; eorumque auditores, aut ſaltem diſcipulorum diſcipuli fuerint; ac pleriſque earum rerum, quas nunc credimus, ipſi interfuerint, manibusq. ſuis attrectauerint: partim, propter Eccleſiæ veteris, quam illi recens plantatam irrigabant, neceſsitatem: tùm, quòd tacito omnium Conciliorum & orbis conſenſu, eorum doctrina confirmata ſit: tùm, quòd à noſtris ſeculis remoti, ab omni affectu & perturbatione

libe-

liberi fuerint, quod teſtium & iudicum debet eſſe proprium; vtpotè ad quos tempora & controuerſiæ noſtræ non pertinebant. Mitto ſolidam eruditionem, linguarum cognitionē maternam: mitto pertinax ſtudiū & diligentiā, quibus omnia cedere ſolent: continentiam item & abſtinentiam, cum quibus effœta hæc noſtra ætas cōparari non poteſt. Hoc autē, quod dico, intelligimus de vniuerſali patrū conſenſu; qui ſuorum temporū, meo iudicio, Eccleſiā repręſentant; vbi pręſertim aliquid affirmant, nō opinantur; vbi ſua aſtruunt, nō extremas hæreticorū ſententias perſequuntur. nam tū aliquando in cōtrariam partem eorum ſententiæ propendere, ſtudio refutandi, videri poſſunt.

Septimus, ſumitur ex authoritate vtriuſq. ſcholæ, noſtræ inquam, & eorum qui Canonica iura interpretantur: quæ, vt Cathedræ populari minus ſeruit; ita ad fidem Catholicam faciendam, propter recentem temporum rationem, non ita vt ſuperiores, valet. Tenenda tamen eſt; ſed vt opiniones & diſputationes teneas, vſum populo dones. Nam & pictor imagines præbet populo, penicillos & lecythos domi ſibi relinquit. Nihil enim magis vitioſum eſt, quàm inſtrumenta & præſidia artis, quod ne coci quidem faciunt, oſtentare.

tare. Vtatur magiſtris ipſis domi:foris doctrinam Chriſti doceat. Vellem autem vltra D. Thomam non multum progrediatur, niſi conſilij capiendi cauſa: non quòd alios contemnendos cenſeam; ſed quòd tantùm temporis non ſuperſit, vt omnes legere poſsit; & veterum patrum magna ſit copia, quibus legendis ætas vix ſufficit humana.

Habent & Rabinorum libri Cabaliſtarumque, ſuum aliquem locum, præſertim, ſi cum Iudæis certamen ingrediendum eſt, quod ſæpè fit; vel cum his hæreticis, qui nunc noui Iudaiſantes vocantur; vel apud dubios, & vacillantes Chriſtianos. Eorum autem maximè, qui antè Chriſti aduentum fuerunt, aut paulò pòſt, qualis Ionatas, Rabenu Hacados, (quem propter authoritatem, magiſtrum noſtrum ſanctum, Hebræi veteres vocant) Philo Iudæus, & Ioſephus, & alij quidam. Non ſolùm iſtis autem vtetur, ſed quandoque etiam ad Philoſophos eorumque rationes, & teſtimonia ſe conferet: hiſtorias item. Id autem potiſsimùm iſtis in locis. Primùm, ſi cum infidelibus diſputabit, apud quos ſacra ſcriptura locum non habet; idque vel eorum argumenta longè firmioribus refutando, vel noſtra confirmando. Itaque Lactantius illud non laudat in Cypria-

no,

no, quòd disputans contra Demetrium Philosophum, diuinarum scripturarum testimoniis vsus sit. Deinde ea, quæ sacris scripturis probari non possunt, ad sacram tamen doctrinam pertinent explicando; vt de cælo, de spiritibus, de virtutibus, & vitiis; de formis ac speciebus rerumpub. de bello, & pace. Vltimò, curiosorum hominum atque inconstantium animos confirmando, quod D. Paulus quandoque facit; vt de resurrectione, *1. Cor. 15.*
vitaque futura. Quidquid enim vspiam verum est, hoc nostrum esse, dicere solebat Augustinus. Sed *1 Reg. 17.*
& Dauid, extorsit de manibus Gigantis proprium gladiũ, quo illum iugulauit. Et Samson man- *Iudic. 15.*
dibula asini, nõ propriis & vsitatis armis, confecit mille Philistæos. In Deuteronomio item iubetur, *Deut. 21*
vt si quis velit ducere vxorem alienigenam, priùs tondeat illius caput, & præcidat vngues. Quod D. Hieronymus de prophanis studiis, ad fidei obedientiam reuocandis, eorumque superfluis resecandis intelligit. Sic Iosue Gabaonitis condo- *Iosue 9.*
nauit vitam, ea ratione; vt inseruirent Iudæis, cędendis lignis, & comportanda aqua. Verùm, hæc Basilius in eo libro, quem scripsit de vtilitate, ex gentilium libris petenda vberius. Ita autẽ in his versabitur; vt semper recordetur, in aliena se pos-

ſeſsione verſari. Quod ita efficiet, ſi nihil priùs & antiquiùs habebit, illis ipſis prioribus capitibus fidei noſtræ, de quibus dictum eſt: & ſi cùm aliquantiſper in his ſubſtiterit, pedem ſtatim tanquam ex quodam itineris diuerſorio referet, ne videamur multum Aegyptiis opibus indigere. Et de locis quidem, noſtræ facultatis propriis, ſatis.

A. Quid de cõmunibus locis, qui vulgò inſiti vocantur? habeſné aliquid quod doceas; vt à definitione, partium enumeratione, notatione verbi; item ex genere, ex forma, ex ſimilitudine, ex differentia, ex contrario, ex coniunctis, ex antecedentibus? S. Non contemnendos puto: imò diligenter cognoſcendos, illisque vtendum: quos qui cognoſcere velit, eum ad veſtros remitto. Neque enim fruſtra hæ veſtræ artes communes dicuntur; inſeruiunt enim omnibus, qui illis vti velint. A. Eſtné aliquid peculiare, quod ad noſtræ artis vſum, ex parte eorum locorum dici poſſit? S. Nihil admodum. Eadem enim eſt ferè ratio in omnibus: ſi quid tamen eſt, docuit hoc præclarè in ſuis Theologicis Topicis, vir acutus & diſertus, & ad elegantiorem Logicam planè natus, Ioachimus Perionius Gallus, qui facilè & legi, & comparari poteſt.

A. Quid

A. Quid de argumentorum ordine? in hoc enim loco versamur. S. Illud comumne, verissimum tamen, vt maximè firma in fronte collocet; debiliora & mediocria in mediam turbam atque gregem coniiciat; fortissimis ac robustissimis, totam cōcludat aciem. Hæc enim, quia vltima sunt, maximè inhærent animis: prima, primò influunt, & animos audientiū occupant: leuia autem planè dimittat; eleuant enim causam, & bonis argumentis fidem detrahunt. Reliqua, quæ artis sunt, ex arte à vestris petes; vt quidem tu fortè melius nosti hæc; nos enim hæc iam olim, vt vides, de manibus dimisimus. Et contentionis quidem summa hæc erit. Pugnabit autem, qui lateribus suis confidet. Nam si quis minùs se in hoc genere potentem videbit; in vita potiùs ac moribus instruendis sanctè versabitur. Causam enim magnam malè agere, prodere est.

A. Contentionem, quid sequitur? S. Peroratio. Summam totius contentionis hæc complectitur breuiter, idq. obiter potiùs, & per figuram aliquam, quàm ex instituto vniuersam causam repetendo. Amplificationē item & motum. Neq. quemuis motum, sed eum, ad quem totum negotium à principio comparatum est. Reprehensio-

hensionem item morum & vitiorum; maximè enim ea mouent, quæ vltimo loco dicuntur. Nihil autē magis fugiendum erit in hoc loco, quàm ne vbi perorauerimus, aliud nouum quoddam argumentum, cùm magno auditorum fastidio instituere videamur; neué aliquid ineptum dicamus. Sæpè enim optimam causam, insulsa & inepta peroratio inquinat, ac euertit.

A. Quoniam autem quid dicat, & quo loco dicat, dictū est: quomodo tandem dicet? S. Rem difficilem quæris: & de qua, ne inter illos quidē vestros, qui hoc solùm in vita egerunt, conuenit. Nosti illam inter Brutum & Ciceronem, de optimo genere dicendi, contentionem? Caput autem huius rei in eloquendo, & agendo consistit; quæ vtraque vobis magistris, qui hæc magnificè in scholis iactare soletis, ne vobis denuò auditores auocemus, plenius explicanda relinquimus. Nobis satis erit nostrum sensum, de hac re, paucis aperire; quibusdam, quæ ab eo negotio non multum remota sunt, priùs in medium allatis. Primùm, si aliqua præstanti eloquentia præditus fuerit is ipse tuus Concionator, ne eam dissimulet, sed aptè & decorè ad laudem Dei vtatur: si exili; ne summā affectet. Nam neq. D. Chrysostomus,

aure-

aureain ſuam eloquentiam diſsimulauit: neque D. Thomas Chryſoſtomi affectauit. Dabit Dominus Deus vtrique profectum, modò vana non quæratur gloria. Secundò, cùm arte hac veſtra dicendi non ſe venditet, ac ne cum cæteris quidem. Nam ſi in ciuili oratione hæc multùm obſunt, fidemque orationi detrahunt; quantò magis in cæleſti doctrina? Qui enim vult ne ſibi infantia obiiciatur, diſertus videri nolit: Et proinde ornamenta, quæ nimis comptam reddunt orationem, reſpuet: ſimplicitatem, & verecundiam, amabit: concinnitatem nimiam, inuidioſumq. numerũ, non conſectabitur; ſimplicitas enim veritatis pediſſequa eſt, eiusq. comes modeſtia: omnis autem affectatio, & fucus, ſuſpectus eſt, iis præſertim in cauſis, quæ omnem fucũ & vanitatem conculcant. Itaq. ineptias illorum mirari non poſſum, qui ea, quæ omnibus modis deberent occultare, iactant, ac proferunt; omnemque eruditionis opinionem ſe perdituros exiſtimant, niſi quid crudi & indigeſti aliundè afferant. Tertiò, dabit diligentem operam, vt è tenebris materias educat; non in eas inducat. Hoc autem efficiet, ſi non cupreſſum vbique ſimulabit, & proximam ſeruabit regulam. Nempè, vt voces ſecundæ impo-

ſitionis, & id genus alias, tanquam populo ignotas, fugiat: ſua lingua vtatur; vel ea, qua illum vti neceſſe eſt, & quam optimè nouit, alienasq́. non immiſceat. Vltimò, ne pro virtutibus aliorum vitia imitetur; neúe exprimere velit, ad quæ natura minus aptus eſt, quod ne Comici quidem faciunt. Quibus conſeruatis, oratorum ſupellectili parcè, & verecundè vtetur; ſimplicitate, veritate, & grauitate contentus: genus dicendi adhibebit ſanum, caſtum, ſeuerum, perſpicuum, verecundũ, modeſtum, moratum, à ſermone familiari non remotum; ex ſacris Euangeliis, D. Pauli, & aliorum ſanctorum doctrina, ſacris Canonibus, ſanctiſq́. Patribus contextũ: quale quondam mirabamur in hoc ipſo MELCHIORE Dominicano, non magis voce, quã vita & moribus, Concionatore, qui totam illã orationem acumine quodam condiebat. Protulerat hoc in genere itidem non paucos, nec multùm inter ſe diſsimiles, hæc noſtra, magnorũ virorum fœcunda mater, CRACOVIENSIS ſchola; meo iudicio, huic Septentrioni valdè vtilis, & neceſſaria, quos quidẽ mihi illo tempore audire contigerat. Grauis & ſimplex fuit oratio AQVILINI: dulcis & concinna BENEDICTI: caſta & verecunda OBREMBII: ſagax, & acuta LEOPOLIENSIS:

benè

benè & liberè docebat, hic, qui nunc Scholæ ve-
ſtræ præeſt Pilsnensis. Adhibebit item omnis ge-
neris Tropos, modo aptè & concinnè, quibus ſa-
cra doctrina mirè delectatur. Figuras verborum
nõ multum curabit: quicquid enim nimis terſum,
& expolitum eſt, ab hoc genere alienum eſſe de-
bet: ſententiarum, pro loco & tempore, vbi
ſe offerent, non omittet; neque tàm à Demoſthe-
ne, Platone, Cicerone, quàm à Dauide, Iſa-
ia, Salomone, & aliis prophetis eas mutuabi-
tur. Illas præſertim, comparationis, ſimilitudi-
nis, oppoſitionis, libertatis dicendi, quam Græci
παῤῥησίαν vocant; magis autem illas Pauli, vt ar-
guat, obiurget, increpet, obſecret, inſtet oppor-
tunè, importunè, polliceatur, comminetur, ter-
reat, mulceat, conſoletur. Quorum ornamentorũ
plenæ ſunt prophetiæ, vt diximus, plena Pauli
ſcripta, de quibus poſſet eſſe ſeparatus dicendi
locus. Verùm obſeruabit quiſpiam ex vobis hæc;
nam noſtra valetudo qualis ſit, ipſe vides. Maio-
ra, crede mihi, ſunt hæc apud noſtros, quàm apud
eos, quos veſtri admirantur, quantũ legiſſe vtroſ-
que licitum eſt. nam neq. numine carent cæleſti,
& vetuſtiora ſunt, & in magnis argumentis ver-
ſantur. Sed ea, huius ſeculi impietas depreſsit,

quæ illi Athanasii, Basilii, Nazianzeni, homines ipsi admirabiles mirabantur. A. Hoc illud est: dissimulas quædam. Obiurgare iubes: eius rei modũ tradis nullum. Atqui hoc est difficilè; offendit multos maiores præsertim. S. Non dissimulo, id difficilè esse; sed hoc curæ nobis esse nõ debet. Si enim placere hominibus volet, Christi seruus non erit: Qui hominibus placere voluerũt, confusi sunt, inquit Psalmus, quoniã Dñus spreuit eos. Poterit tamen & hic, quod ad hominem con tagione infectum, medici ingressuri facere solent, aliquam medelam, seu cautionẽ quam Græci προφυλακτικὴν vocant, adhibere. Si obiurgabit; nõ mali tiosè, non ex odio, nõ vindictæ causa, nõ in gratiã alterius, nõ ad vulgi opinionem id faciat: ea quæ scit, nõ quæ ab aliis accepit, reprehendat: obiurgationẽ inter omnes distribuat; zelo & amore illorũ, quos accusat, cõmoueatur; vitia potiùs quàm homines insectetur; vt illud cum D. Paulo dicere
2. Cor. 11. possit: Quis infirmatur; & ego non infirmor? quis scandalizatur; & ego non vror? in quo genere illud præcipuè seruet, ne culicem colat, & camelum deglutiat; & vt præsentes (quod ingenui est) potiùs, quàm absentes obiurget. A. De actione, quid censes? S. Vt sit modesta & orationis

onis curſui accommodata; & non modò non hi-ſtrionica, & ſcenæ; ſed etiam hac Oratoria paulò quietior, & moderatior: modica iactatione corporis; multa oculis & vultu conficiens, neque tamen mortua & exanguis. Ita vt non præſumat, ac ſi in popina loquatur: neq. deſperet, tanquam nō apud homines, eiuſdem infirmitatis, cuius ipſe ſit, verba faciat; quod in omni rectè ſuſcepto negotio videndum; ſed ita ſtatuat, ſe apud eos, qui ſunt eiuſdem conditionis, loqui, iudice tamen & inſpectore Deo. de quo agendi genere, nemo meliùs & breuius tuo Arpinate. Status in Oratore, inquit, erectus & celſus: rarus inceſſus, nec ita longus: excurſio moderata, eaq. rara: nulla mollicia ceruicum: nullæ argutiæ digitorum: non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto ſe ipſe moderans; & virili laterum flexione, brachii proiectione in contentionibus, contractione in remiſsis. Vultus verò, qui ſecundùm vocem plurimū poteſt, quantam affert tum dignitatem, tum venuſtatem? In quo cùm effeceris, ne quid ineptum aut vultuoſum ſit, tum oculorum eſt magna quædam moderatio. Nam vt imago eſt animi vultus; ſic indices oculi: quorum & hilaritatis, & viciſsim triſtitiæ modum, res ipſę de quibus age-

tur, temperabunt. A. Quid? memoriæ, quod minimè oportuit, oblitus mihi videris? S. Ludis? Tthesaurus hæc est & custos eorum omnium, de quibus diximus; sine qua omnia cætera, etiamsi præstantissima fuerint, in eo qui dicit, peritura intelligimus. Hæc à Deo, & à naturæ bonitate, datur: studio & diligentia augetur: vsu, & exercitatione perficitur: vita continenti, rectaq. victus ratione conseruatur. Rem benè præuisam, probè intellectam, multùm diuque cogitatam, ac debito dispositam ordine, facilè condit, ac vbi opus est, promit. Nam reuera, quod planè prætermiseram, tum demum rectè & maturè orator dicet; cùm non ex tempore ficta, sed multũ & diu cogitata, de quo Cato apud Ciceronem gloriatur, domo attulerit. Cætera de memoria, quæ à vestris traduntur, subtiliora magis, quàm certiora videntur, quæ tamen non reprehendo. Et hæc quidem ex aliqua obseruatione, optimorumque, per multos annos, Concionatorum, tam domi, quàm foris, diligenti auscultatione, vsu denique aliquanto nostro, hactenus.

SIMON SIMONIDES LEOPOLIEN.

Postquam molesti pertinax morbi labor,
Sermonum honorem, & oris abstulit decus,
Diuûm diserto interpreti Socolouio,
Nec iam vigorem posset vsque pristinum
Tenere fandi; ad astra quo Regum inclytas
Mentes vocabat: ne illa maiestas sacra
Linguæ efficacis prorsus exolesceret;
Qualis vigebat tum, hanc sua ipsemet manu,
Hoc in libello, imaginem expreßit sui;
Vt alii haberent, vnde sese fingerent.
Tamen, perite lector, haud putaueris,
Hac in pagella perbreui, vna atque altera,
Quantus fuerit, omnem editum Socolouium:
Duntaxat hæc imago, vel adumbratio,
Est potiùs exigua; pari exemplo solet
Parua in tabella, pictor expressam dare
Latè patentis orbis, aptam imaginem.

LAVS CHRISTO DOMINO.